



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 31. Disputatio Eckium inter & Carlostadium de bonis operibus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

pitii Vicarii sui generalis auctoritatem, Sæcul. XVI.  
A.C. 1519.  
(\*) ast Eckius utrumque merito rejecit.                     

## §. XXXI.

*Disputatio Eckium inter & Carolstadium de bonis operibus.*

Postera die agitabatur quæstio, an per absolutionem poena ac culpa remittantur; demonstrabat Eckius, poenam temporalem per illam non remitti; fatebatur quoque Lutherus, quod noxæ, quantumvis condonatæ essent, subjacerent poenis, quascunque imponere Deus vellet, negabat tamen poenas divinæ justitiæ debitas virtute clavium remitti. Eadem lis in colloquio die decima quarta Julii celebrato restaurata est; tandem vero Lutherus cum Eckio ulterioris certaminis discrimen experiri cessabat.

Rursum vero Carolstadius die decima quinta Julii in arenam progredi audebat; præcipuum ibi litis punctum spectabat argumentum de libero arbitrio, piisque actionibus, de quibus quærebatur, *utrum justus in omni opere bono peccet?* Eckius hanc propositionem omnino a veritate alienam esse afferebat, idque nullo negotio demonstrabat. „ Si enim, inquebat, vera esset  
G g 5 „ hæc

(\*) En! quam infirma allegat testimonia ille, qui suam doctrinam non nisi sacrae Paginae auctoritatibus inniti jactitabat.

Sæcul. XVI., hæc propositio, tunc sacras paginas  
A.C. 1519 „ penitus suppressere oporteret; ubi-  
*Ulemb. c. 5.* „ que enim hæc bonum operantibus mer-  
*Cochl. ann.* „ cedem pollicentur, illud igitur una-  
 1519. „ cum Dei gratia perfici posse supponunt,  
*Surius in* „ ac passim etiam adhortantur, suadent,  
*comment.* „ atque etiam minantur, & denunciant  
*Raynald. an.* „ supplicia, non alio ex fine, quam ut  
 1519. n. 38 „ iustum in virtutis studio confirmet,  
*Pallavic hist.* „ & peccatorem ad deserendam iniqui-  
*Conc. Trid.* „ tatis semitam excitent; non ergo sa-  
 l. I. cap. 17. „ cer Codex eum; qui improbus est, cum  
 „ homine virtutis studioso pari ratione  
 „ reputat, proin non omnia iusti opera  
 „ peccata sunt. „ Ad hæc Carolstadio  
 lingua & aqua hærebat, nihilque prom-  
 ptum erat, neque quod ageret, neque  
 quod solidi responderet.

His denique absolvebantur colloquia  
 illa ubique nominatissima, ipsaque acta  
 Lipsiensia haud dissimulanter fatentur,  
 quod Eckius fatente ipso Luthero victo-  
 riam reportasset, sive quod eruditionis  
 præstantia, sive argumentorum robore  
 ac vigore adversariis suis longe superior  
 esset. Id quoque exploratum est, quod  
 Georgius Saxonizæ Dux, absoluta hac  
 disputatione, firmiter quam unquam in  
 orthodoxa fide perstiterit, atque in ma-  
 jorum suorum Religione immota constan-  
 tia perseveraverit, cum tamen antea,  
 quid crederet, incertus fluctuaret.

Luthe-

Lutherus de hac Lipsiensi disputatio- saecul. XVI.  
 ne libellos divulgavit, atque inter alios A. C. 1519.  
 opus edidit, cui titulus: *Resolutio pro-*  
*positionum Lipsiae disputatarum*, quamvis  
 utrinque cautum esset, ne quid de illa  
 disputatione juris publici fieret, ante-  
 quam Parisiensis, Erfordiensis, ac Lip-  
 siensis Scholæ, ad quarum arbitrium  
 controversiæ decisio referebatur, de-  
 cretoriam tulissent sententiam. Nihilo-  
 minus in hoc libello Lutherus subdole ea  
 omnia, quæ in ejus ignominiam cede-  
 bant, suppressit, cunctasque propositio-  
 nes ultro citroque agitatae repetens, eas  
 omnes explicavit, atque in sensum erro-  
 ribus suis faventem contorsit.

Hoc opusculum Lutherus ad Spalati-  
 num, quem Fridericus Saxoniae Elector  
 a secretis habuit, transmisit, in hæc pro-  
 rumpens verba: *Historiam famosæ dispu-*  
*tationis, quam Lipsiæ habuimus, optime*  
*Spalatine, cupis nosse; fuit illa perditio*  
*temporis, non inquisitio veritatis. Et quan-*  
*tum in Eckio fuit, nullum fere scopum te-*  
*tigit, aut si tetigit, non nisi notissimis, &*  
*vulgo proculcatis argumentis certavit: Me-*  
*lanchton de hujus disputationis successu*  
 cum majori quidem sinceritate, ac modera-  
 tione quam Lutherus, ad Oecolampa-  
 dium perscripsit, terminis tamen usus  
 est, qui in Magistri sui laudem plus æ-  
 quo

Sæcul. XVI  
A.C. 1519.

quo cedebant, hac autem epistola intenderat, ut Eckium ad respondendum hisce literis provocaret, illumque induceret, ut datis ad Hochstratum literis Lutheri errores, quos de Primatu Pontificis, indulgentiis ac de Purgatorio exposuisset, eidem significaret; hanc in rem disputationis apographum illi transmisit, supplicans, quatenus data epistola Parisiensem Universitatem moneret, ut quamprimum a Principe Georgio disputationis acta recepisset, sententiam in hoc negotio ferre non cunctaretur. Interea cum rumor spargeretur, Lutherum in hisce Colloquiis Bohemorum partes sustinuisse, Hieronymus Emser hac super re ad Johannem Zachium Pragensis Ecclesiæ administratorem epistolam dedit, significans, quod Lutherus adeo non Bohemorum doctrinam approbasset, ut etiam palam illam condemnaret; hanc epistolam mox excepit Lutheri responsum, cui titulus: *Capricornus Emseri*; hoc enim insigne pro armis a majoribus suis habebat Emserus: erat autem hoc scriptum tot convitiis exuberans, totque calumniis acerbum, ut inter ambos ad contentionem ventum, ac libellis ultro citroque editis certatum esset (\*).

Cochl. in aff.  
& script.  
Luth anno  
1519. p. 17.  
Luth. in Ep.  
II. ad Leon.  
X.

§. XXXII.

(\*) Qualiter autem Emserus Lutherum de falsitate

con-